

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri  
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta  
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

**Châteillon, Sébastien**

**Francofurti, 1761**

**VD18 12886300**

Piscatores.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18303**

## SENTENTIA.

*Christus tam facile morbis imperat, quam dux  
militibus. Primi erunt ultimi, & ultimi primi.*

## PISCATORES. Luc. 5.

## ARGUMENTVM.

Petrus jacto reti jussu Jesu plurimos  
pisces capit.

*Jesu, Petrus.*

**S**ubduc in altum oriam, Petre, ut retia laxetis ad  
prædiam. *P.* Præceptor, totam noctem la-  
borantes nihil cepimus: Sed tamen postquam ita  
jubes, demergam rete. O rem miram! Adeste  
socii, adjuvate nos. Ruinpitur rete, ita multis pi-  
scibus est plenum. Corripe tu istas plagas altrin-  
secus, vos, vos invergite in naviculam. Definite,  
definite sustinere rete: jam hæc plena est, infun-  
damus in alteram. O rem inauditam! pene sub-  
merguntur cymbæ, præ piscium multitudine.  
Quæso te Domine, <sup>a)</sup> abi a me! nam homo no-  
cens sum. *F.* Ne metue deinceps, jam homi-  
nes pescaberis.

## SENTENTIA.

*Absque Christo piscari, hoc est, homines docere,  
operam ludere est. Christo auspice felix est pi-  
scatura.*

*P 2*

SIMON.

<sup>a)</sup> *Hoc est: ego nōcens & indignus sum, eum quo-  
tu innoēcens & divinus versere.*



S I M O N. Lucæ 7.

## ARGVMENTVM.

Jesus miranti cum animo suo Simoni, apud quem ipse cibum capiebat, cur se patetetur ab impudica muliere attrectari, causam reddit.

*Simon, Judas.*

Jam dudum specto mulierem istam, quæ meum hunc hospitem tam molliter curat. Qui sivates esset, intelligeret utique, quæ & qualis sit mulier, quæ ipsum attrectat: nam prostituta pudicitia est. J. Simon, paucis te volo. S. Dicas licet, Magister. J. Duos debitores habebat quidam creditor, quorum alter quingentos, alter quinquaginta debebat denarios. Si cum non essent solvendo, utriusque condonavit. Dic, uter eum plus amare debeat? S. Opinor, cui plus condonavit. J. a) Recte judicas. Vides hanc mulierem? Cum introvissem domum tuam, ne aquam quidem ad lavandos pedes meos dedisti. Ea & lachrymis eos perfudit, & sui capit is capillo exterrit. Tu mihi osculum non dedisti: ea, postquam sum ingressus, non destituit mihi pedes deosculari. Tu nec oleo mihi caput unxit: ea unguento mihi pedes perunxit. Qua de causa sic habeto ei multa remitti peccata, quoniam multum amat. Remittuntur tibi peccata mulier: tua te fiducia servavit: abi cum bona pace.

a) E similibus judicandum est de similibus.

SEN-

